

sumptione pecuniæ creditæ arceamus ?
quæri potest. Ad quod respondet Paulus
Jctus, eos pecuniam fœnebrem accipere
non prohiberi.

*In l. 34. §. 1. ff. h. t. n. Si Fœnebrem, multò magis gratuitam ex Mu-
tuo. Ratio diversitatis consistit in eo potissimum. I. Quod plerumq; pecuni-
am mutuam dat, qui eâ carere potest. At accipit, qui inopiâ laborat & ege-
state premitur. Si ergò præsidib. non liceret mutuam pecuniam sumere,
inopiæ subsidium illis auferretur, quod esset admodum iniquum. Borch. d.
tr. c. 3. nu. 42. Et quamvis Præsides provinciarum sumendo pecuniam mu-
tuam, provincialib. quoq; molesti esse, & à provincialibus aliquid extorque-
re possent: Tamen prudentes Legumlatores benè de præsidibus provinciarum
sperantes, non tam ejus, quàm hujus rationem esse habendam putaverunt,
ne præsides provinciarum egerent, & propter egestatem à provincialib. de-
spicerentur. Et ob id præsidibus provinciarum mutuam pecuniam sumere,
non dare permiserunt. II. Deindè longè alia vis est dare, alia sumere. Dan-
do sibi obligationem acquirit, quo pretextu multa, cum alienâ injuriâ
transferri possent. Sumendo aliis obligatur, in quo & res suas minuit, &
alias auget, & sic certè eo factò alios ledere non potest. Hoc modo, quamvis
ipse in Provincia non possit uxorem ducere, filias tamen suas in Matrimo-
nium collocare, & dotem eis constituere potest, L. si quis officium, 38. in
princ. & §. ult. junct. l. præfectus 63. ff. de rit. nupt. Add. Donell. ad d. l. 34.
nu. 2. & 3.*

XIV.

Quid igitur, si Civitas aliqua aut Univer-
sitas aut Ecclesia creditam pecuniam acce-
pissent, an eo factò obligentur, quæritur ?
Hæsitant nonnulli: Nos verò à sententia
Bartoli hoc affirmantis neutiquam rece-
dendum duximus.